


CYRUS, CROESUS, SOLON

XXXIII

OLIM in Lydiā regnābat rex, Croesus nōmine, inter omnēs gentēs propter dīvitias nōtus. Lydia Asiae regio erat, Persiae finitima. Nec procul, trans mare Aegaeum, Graeci incolēbant. Deos Graecos adōrābat Croesus, et saepe ad orāculum Delphicum dōna pretiōsissima mittēbat ; aurum argentumque aliāsque rēs pretiōsissima mittēbat, nam omnium rēgum erat dīvitissimus. Itaque Graeci Croesum amābant, et saepe viātōrēs ad Lydiae oram nāvīgābant. Inter viātōrēs forte Solon, vir sapientissimus, ad Croesi hospitium vēnit. Sapientior erat quam omnēs patriae suae cīvēs. Ubi dīvitias Croesi et omnēs rēs pulcherrimas laudāvit, tum Croesus, “ O hospes,” inquit, “ nōne mē omnium hominum beātissimum vocās ? Nōne ego beātior sum quam omnēs patriae tuae cīvēs ? ” Sed Solon, “ O Croese,” respondit, “ Hodiē sine dubio beātus es ; olim tamen fortasse cūrae

gravissimae tē vexābunt. Nēminem, adhūc vīvum, beātum voco.”



CROESUS ON THE PYRE.

Croesus is about to be burned to death. He is pouring out his last offering to Apollo.

XXXIV

Post paucos annos Cŷrus, Persārum princeps, cōpias in Mēdōrum agros dūxit, et tōtam regiōnem

celeriter vicit. Itaque et Mēdiae et Persiae, ingentis regni, rex erat. Croesus, ubi cīvēs Cȳri facta nuntiāvērunt, “Sī Cȳrus,” inquit, “adhūo adolescens, tam celeriter Mēdos superāvit, sine dubio ego, rex maximus dīvitissimusque, Cȳrum superābo.” Cōpias igitur cito collēgit et in fīnitimos agros dūxit. Sed nōn bene rem gessit. Nōn diū rēgis exercitus hostium impetum sustinēbat. Persae Croesi mīlitēs fugāvērunt. In Lȳdiam contendērunt et omnia loca ferro et ignī vastāvērunt; hominēs necāvērunt; vicos et frūmentum incendērunt. Rex perterritus rēgiam petīvit. Eō intrāvit Cȳrus. Cȳrus, vehementer irātus, “Cūr, O Croese,” rogāvit, “sine causā bellum in agros meos intulistī? Tū igitur stultitiae tuae poenas gravissimas mihi dābis. Servi mei rogum ingentem trabibus validis aedificābunt; tē in rogum impōnent; tum tē rogumque incendent.”

XXXV

Māne igitur servi rogum ingentem parāvērunt et Croesum eō imposuērunt. Tum Croesus ubi calamitātem suam sensit, tristī vultū gemitum ab īmo pectore dedit, et, Solōnis verbōrum memor, “Nōn falsa,” inquit, “Solōn, vir sapiens, dīxit. Ego mē omnium hominum beātissimum tot annos

putābam. Nunc autem nēmo per omnēs gentēs miserior est. Superbiae stultitiaeque poenas do.” Cŷrus, ubi Croesi verba audīvit, et vultum tristem animadvertit, misericordiae plēnus, “Et ego,” inquit, “homo sum. Hodiē beātus sum, sed nōn semper fortasse rēs bene geram. Et ego fortasse veniam ā Dīs Immortālibus ōlim petam. Captivum igitur vinculis flammisque liberābo.” Sed iam servi faces lūcidas ad trabēs porrexerant; iam flammae rogum paene cingēbant. Croesus autem in summo perīculo manūs ad caelum Deōsque Immortālēs porrexit. Apollo imbrem dē caelo serēno mīsit, et aquam in rogum effūdit. Ita Cŷrus captivum liberāvit, et multos annos Croesum cārum amicum habēbat.